DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYPOCHONDRIASI.

AUCTORE DAVIDE CORBET.

PROOEMIUM.

Medicinae rationalis scientia, rerum factarum observationi, immobili tanquam fundamento, innititur, et ut aliae scientiae leges tum generales, tum speciales agnoscit. Hae admodum variae sunt, pro hominis cujusvis temperamento ac indole, seu a causis naturalibus seu moralibus pendeant, mirum in modum inter se discrepantes. Ad hujus observationis veritatem confirmandam, hypochondriasis proferatur, mor-

bus non solum homines temperamenti melancholici infestans, sed etiam intemperatos, studiosissimos, sedentariamque vitam nimis colentes, haud parum vexans; de quo, breviter mihi tractare proposui, quoniam legibus hujus almae Academiae sancitum est, ut quicunque medicinae honores ambire studeant, aliquid ad rem medicam pertinens conscriberent. Illustrissimus CULLENUS, qui omnium nosologorum clare princeps est, hunc morbum in classe Neurosium ordineque Adynamiarum locavit, et in iis verbis definivit: "Dyspepsia cum languore, moestitia, "et metu, ex causis non aequis, in tempera-"mento melancholico."

MORBI HISTORIA.

Vox "Hypochondriasis" Graeco origine gaudet, ex *υπω* sub, et *χονδρος* cartilago, composita, nempe, quia malum praecipue sub costis falsis et harum cartilaginibus residere creditum erat.

Forsitan nullus morbus signa tam varia et tam explicatu difficilia, quam hic de quo scrip-

turus sum, habet. Mentem corpusque simul tabe corripi ex definitione satis constat; vix igitur omnia illius symptomata numeranda sunt, ea vero frequentissime et constantissime occurrentia, scilicet, quae animum digestionisque organa invadunt, huc monstrare sufficiet, illa recensere conabor; quae ventriculum prius perpendi veniunt.

Inter initia, anorexia, nausea, inflatio, et alia dyspepsiae signa urgent: appetitus tamen valde mutabilis est; aliquando ita imminuitur ut aeger omnino cibum fastidit; deinde, contra, penitus insatiabilis evadit, et alimenta ventriculo accepto non bene concoquuntur: pondus et oppressio circum praecordia sentiuntur: cruditas et acor ventriculi vexant. His accedunt ardor stomachi, ructus crudi, molimina ad vomendum gravia et irrita: interdum ipse vomitus, idemque quodammodo ex alimenti natura pendens, aut viridis aut subniger; interdum adeo corruptus et peracidus ut dentes ipsi rodantur; praecordia parte sinistra tument; spiritus totum intestinalem implet; dolores violentes et tormina regionem umbilicalem crucient; lingua subni-

gra fit; status alvi plerumque adstrictus a morbo inducitur, et postea vicissim eum auget; sensus omnes motusque imminuitur; languor et torpor adsunt; pulsus est tardus et durus; et aeger cordis tremoribus crebris ac palpitationibus per intervalla gravatur; respiratio est difficilis, et e causis minimis turbata; saepe incubus, saepe dira somnia terrent; hinc somnus parum reficit, aut tantum sopor contingit, vel etiam vigiles jactantur. Debilitate ventriculi ingravescente, omnia symptomata supra enumerata plurimum augentur, et propter usum et mirum consensum qui inter stomachum et varias partes corporis intercedit, alia quae non antea apparuerunt, videlicet, "defectus nu- "trimenti, generalis infirmitas, partes solidae "laxae, fluidae nimis tenues, omnes functiones "impeditae, dolor capitis, vertigo, syncope, "asthma, palpitatio, et spiritus valde demissi, "praesertim si aeger peculiaris constitutionis "fuerit."

Animus in hoc morbo, metui praecipue mortis, moerori, inquietudini, morositati, suspicionibusque omnis generis, valde proclivis reddi-

tur, et haec pathemata pertinacissime fovet; porro miser solitudinem amat, nec socios priores petit, et moeroribus suis vanis gravi anxietate tantum frui videt:

—— Veluti pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt; sic nos in luce timemus,
Interdum nihilo quae sunt metuenda magis, quam
Quae pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.

Luc.

Hypochondriasis, imprimis temperamentum melancholicum, raro ullos praeter aetate provectos, mares saepe, mulieres quam rarissime invadit.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Affectus hic haereditate ex semine parentum transmigrat saepius in liberos. Hoffmannus.

Illa dispositio, quae in hominibus peculiaris temperamenti ad proprios morbos accipiendos inest, haud facile explicari potest, atque diu "atra caligine mersa est." Observationes autem quotidianae ejus veritatem probare viden-

tur. Proclivitas temperamento melancholico ad hunc morbum datur; hoc temperamentum notis sibi propriis insignitur. "Temperamen-"tum melancholicum," ait GREGORY, "huic "(sanguineo) fere contrarium videtur, compa-"gine firmiore, saepe macra, cute crassa, fus-"ca, hirsuta, magnis venis, crinibus, et super-"ciliis, et oculis nigris, atro vultus colore, no-"tatum. Hoc temperamento praediti pulsus "fere habent tardos et secretiones et excretio-"nes parcas, genusque nervosum parum sen-"tiens aut mobile, et animum gravem, saepe "tristem, meditabundum, et in melancholiam "et insaniam aliquando proclivem. Iidem pa-"tiuntur multum a vita otiosa et sedentaria, "et stimultantibus et calefacientibus remediis: "saepe male concoquunt, et a ventriculo labo-"rant, et hypochondriasi obnoxii sunt, quae in "aliis constitutionibus rarius observatur."

Britanni cogitantes, graves, morosi, et parum in alienos affabiles observantur, quae indoles animi maxime ad hypochondriacos pertinet; et hinc prae caeteris populis excultis in hunc mor-

bum incidere comperiuntur; et certe potius increvisse quam decrevisse videtur.

Signa supra dicta partium solidarum rigiditatem et torporem indicant; quae omni aetate, sed potissimum provecta, melancholicos plus minusve insignant.

CAUSAE EXCITANTES.

> The first physicians by debauch were made;
> Excess began, and sloth sustains the trade.
>
> DRYDEN.

HAE ad duo genera referri solent. Ad primum, omnia quae primitius ventriculum ipsum laedunt; ad secundum, quae totum corpus afficiunt. Ad unum caput, in cibo intemperantia, liquores aut vinosi aut ardentes, opium, tabacum, aliaeque narcoticae, &c. pertinent; sub altero, evacuationes magnae, vita sedentaria, Venus immoderata, studium intensum, et pathemata mentis, ponuntur.

Cibus.—Si cibus nimia quantitate, vel qualitate parum conveniente, quotidie in ventricu-

lum ingeratur, et distentionem, et motus musculares ventriculo justo crebriores fore, clare constat; "every time," dicit WHITE, "the stomach is loaded, its strength is impaired." Igitur gulae improbe deditos, debilitate ventriculi perpetua laborare, non nobis mirum videri debet.

Liquores tam vinosi tam ardentes.—Experientia quotidiana clare docet, effectus intemperantiae usu spiritus stillati aut vinosi funestos; primum stimulant, deinde manifeste sedant. Effectus unius et stimulantes et debilitantes breviore tempore, et majores et magis evidentes sunt; autem affectus alterius, quamvis non statim appareant, vel mitiores sint, tamen pede non minus certo sanitatis fundamenta suffodiant.

Narcoticae.—Funditus elucidare modum quo sedativa in corpus agunt, haud me penes est. Inter haec opium primum locum tenet; quaecunque sit commoda, practica medicina eo derivantur, incommoda quoque, et ea haud parvi momenti, ab ejus usu surgunt; partem cui applicetur debilem, immo sensus prorsus exper-

tem reddere, libereque adhibitum cibi appetentiam prosternere, perplurima experimenta satis demonstrant. Etiam nicotianae tabaci folia sive mansa, sive forma fumi sumpta, injurias insignes facile ventriculo inferunt. Immoderatus infusae theae usus, praecipue viridis, omnibus experimentis a medicis institutis, stomachum nocere repertus est. Etiamque vomitus saepe repetitus, rejectio salivae, amara et aromatica, cum victu diu sumpta, apud causas hujus generis excitantes enumerantur.

Alterum causarum caput nunc aggrediendum, quae in ventriculum ipsum non proxime agunt, sed ad totius aliarumve systematis partium actionem enervandam conferunt; ex quo tamen ventriculi actio, illam ob sympathiam quae inter ventriculum reliquumque systema intercedere videtur, magnopere afficiatur necesse est.

Evacuationes magnae.—Non solum cerebrum, sed systema in genere exigit, ut vasa sanguifera juste distendantur, ut corpus tono et vigore ei propriis gaudeat; quinetiam, vasa ipsa quodam-

modo dilatari necesse est, ut fluida undique aequaliter compressa per vasa minima facilius propellere possint; contra vero, si vasa prope inania sunt, totum systema languescit: hinc sanguis ad corporis superficiem haud omissus interiora tenet, et munia corporis tota turbata pravaque eveniunt. Pari etiam modo mala, quae ab catharticis acribus saepe repetitis oriuntur, explicare licet, vim vero ventriculi intestinorumque magis immediate imminuunt.

Vita sedentaria.—Nihil potentius sedentaria vita ad systematis vires enervandas agit, spiritus pariterque sanguinis motus ex desidia languescunt, et mirum in modum huic morbo favet; exercitatione neglecta, omnia secernenda nec rite secernuntur nec excernuntur; et hinc magna malorum cohors oritur, quae certissime in dyspepsiam et hypochondriasin pullulabunt.

Venus immoderata.—" Haec nimis culta valde nocet, praesertim junioribus, quorum animos pariter ac corpora multum degenerat; cujus rei haud obscura erit, siquis secum reputaverit quanta vis universo corpori, et ge-

"neri nervoso imprimis, inferatur venere."—GREG.

Genus vitae studiosum.—Nimis studio cuivis incumbere malum est, praesertimque si id studium cui incumbimus imaginationem potius quam judicium exercet. Atque, etsi mentis exercitatio ad functiones sustentandas necessaria sit, apud medicos tamen convenit, nihil nervoso systemate enervando, hypochondriasique inducenda, quam studiis, vel negotiis nimis diligenter incumbere, magis noxios edere effectus. Excessus tamen cum studiorum varietate tolerabilior est, at vehemens cogitationum in eandem rem intentio, non interrupta, rari sunt quibus non manifeste noceat.

Clima frigida et hyems.—Frigus ex multis partim hunc morbum excitare apparet; nam maxime in regionibus frigidis, rarius in calidis videtur, etiam ii sub eo laborantes aestate quam hyeme meliori valetudine gaudeant: humiditas hujus causae potestatem plurimum adauget, pro certo cognitum est, hypochondriacos valde inertes esse, unde frigoris et humiditatis actioni magis obnoxii fiunt; et omnes in

semetipsis experiunt, quantopere genus humanum aeque ac alia animalia afficiuntur, quando tempestatibus nimbosis ingruentibus, quasi atra nox terris incubare videtur,———

———The winter falls,
A heavy gloom oppressive o'er the world,
Thro' nature shedding influence malign,
And rouses up the seeds of dark disease.
The soul of man dies in him, loathing life,
And black with more than melancholy.
THOM.

Mentis pathemata.—Nullae causae hunc morbum frequentius excitant, quam pathemata mentis deprimentia, ut moestitia, metus, et similia. PLATO credidit, "omnia corporis mala "ab anima procedere." Pathemata in duas classes rite dividuntur; affectiones, quae ad unam classem pertinent, mentem et corpus excitant, et eorum facultates intendunt; quae ad alterum, deprimunt et infirmant.

Moestitia.—Moestitia gaudio opposita, ea animi affectio est, rebus adversis aut spe obruta exoriens; moeror vim nervosam minuit, et cor tremere, et sanguinis circuitum languescere fa-

cit, nec mirum, si arctissimum quo sanguinis motus et vis nervosa copulantur nexum, pendamus. Tristitia perpetua ad sanitatem semper infesta est, vires clam subruit, et nulla est corporis compages adeo firma quum tandem labefactetur; facies squalet, et corpus macie tabescit; cibi appetentia perit; mens nunc fastidit et etiam odit omnia quae prius voluptatem dederant, et dira malorum cohors tandem supervenit, quae certissime dyspepsiam et hypochondriasin vel melancholiam ipsam inducit. Misericordia, amor infelix, et nostalgia, moeroris species sunt, atque modo haud dissimili eosdem effectus producunt.

Metus.—Metus iste ingratus animi affectus sensit, ubi res terribilis aut adest, aut ventura esse videtur; metus gravis mentem aeque ac corpus debilitat et enervat; sanguinis motus languescere, vultus formidine pallere, genua intremescere, videntur. Bene quoque notum est, homines, qui metu corripiuntur, in morbos, qui contagio grassantur, imprimis esse obnoxios; et ratio non obscura est, cur metus omnes fere morbos graviores reddit et exasperat.

Ira.—Cum mens ab injuria vehementer commovetur, ira turbari dicitur; in omnem aetatem, sexum et temperamentum vires atroces ejus probe experiuntur, et merito inter animi dirissimos affectus habetur; totum systema aestu exagitatur, cordis et arteriarum actio multum intenditur, et nova vis musculis accedit; hae autem brevi subsidunt, et secundum legem generalem, vires collapsas, corpus debile, languidum et exhaustum relinquunt. Inter secretiones quae iracundia afficiuntur, bilis maxime laborat, et secretio ejus saepe multum augetur et vitiatur: haec alia graviora mala in organa delicatiora saepe incumbitur.

DIAGNOSIS.

Prima basis curandorum morborum est recta eorundem cognitio, atque debitum unius ab altero discrimen.

BAGLIVUS.

PERPAUCI morbi signis tam lucide et exacte finiuntur, ut aliquando etiam artis medendi peritior non falleretur; at nulli fere quam hy-

pochondriasi major subest haec difficultas, quam duo praecipue morbi adeo simulant, ut quisnam eorum adesset, non clare perspiciatur. Hi autem sunt melancholia et dyspepsia, quibus nonnulli hysteriam accedere judicant.

Dyspepsia.—Tam difficile est diagnosin inter hunc morbum et hypochondriasin reddere, ut non possumus quin dubitemus gravius ne ejusdem morbi stadium, an morbus diversus sit; certe haud infrequenter iisdem causis oriuntur, et fere iisdem curationibus meliorescunt. Ventriculi affectiones plerumque animum afficiunt, et vice versa, illius organi functiones omni perturbatione mentis affici videntur. Sed si Cullenum illustrissimum sequimur, et hypochondriasin ut morbum a dyspepsia diversum tractamus, dicitur sequentibus notis distingui possunt: Dyspepsia juvenibus omnium temperamentorum, sed praecipue sanguinei incumbit, saepe annis provectioribus decessura: hypochondriasis saepissime homines temperamenti melancholici, qui jam meridiem vitae attigerunt, invadit. In hoc morbo animi affectio firmius quam in dyspepsia stabilitur, neque hortatu hi-

lari, nec seria ratiocinatione aegris persuadeatur, timores quos gignet esse inanes, saepeque manet, omnibus symptomatibus dyspepticis abeuntibus: in dyspepsia non semper adest, hypochondriasi non deesse potest: in hac quoque ad melancholiam saepe vergit, in ipsam aliquando desinit: dyspepticus tristitia afficitur, nescit quare, hypochondriasi autem moerorem timor et anxietas propter sanitatem ipsius insignes plerumque comitantur.

Melancholia.—Auctores signa dederunt, quae morbum hypochondriacum a melancholia distinguunt, quae tamen agnoscunt, valde obscura sunt, et certe in utroque morbo aegri decipiant. In malo hypochondriaco ventriculus et intestina aegre muneribus perfunguntur, et facultates animi perturbantur; sed hypochondriaci hallucinatio ex metu quodam de sua valetudine, vel de morte imminente, plerumque constat; melancholicum, contra, desiderium violentum laudis, divitiarum, amoris, metu haud adipiscendi comitante, spesve quaedam frustrata, exagitat.

Hysteria.—Quamvis nonnulli sunt opinati hypochondriasin et hysteriam inter se simillimas esse, immo etiam unum et idem esse malum, tamen discrepantia est satis luculenta; hysteria subito impetum facit, nec diu permanet, at hypochondriasis gradatim serpit, et sine intermissione aegro adhaeret; illi foeminae sanguineae, huic vero senes melancholici maxime obnoxii; convulsiones et coma saepe sunt illius satellites, hanc autem nunquam comitantur; his adde globum tam frequenter in priori occurrentes.

PROGNOSIS.

Hic morbus, licet raro per se lethalis sit, saepissime tamen pertinax est, et curatu difficillimus, immo interdum immedicabilis, et eo inveterationis et violentae procedit, ut miserandus aeger taedio vitae sibi mortem consciscat; plerumque autem miseriarum et metus quam periculi foecundior est. Sed scire licet, nihil fere

perpetuum esse de hac parte propositi, sed spem aut metum boni aut mali eventus fere pro causae istius natura unde morbus coeperit: si aetate provectus sit aeger, temperamenti melancholici, sanitas plena desperanda est, et eo magis quo morbus diuturnior fuerit; at si ab evidente causa juvenem haud melancholici temperamenti aggrediatur, hac remota, medicabilem futurum sperandum est. Hypochondriasis saepe cum neglecta, alicui inveteraverit, eum in complures alios morbos procliviorem reddit; nominatim melancholiam, maniam, àliosque fortasse, qui his quadantenus consimiles sunt.

METHODUS MEDENDI.

Physico morale est, et temperantia vitaeque sobrietas nuncupantur. HOFFMANNUS.

SEMPER paulatim conditio ac corporis ac mentis nunquam subito in hunc morbum variationem pati videtur, et ex symptomatum causarumque consideratione, mutatio maxime

effici potest, tribus medendi indicationibus sequentibus:

Primo, Admodum diligenter causas remotas evitare;

Secundo, Symptomata maxime urgentia mitigare vel removere;

Tertio, Tonum vigoremque systemati, praecipue vero ventriculo et animo, vires reddere.

PRIMUM CONSILIUM.

Hoc equidem, etsi forsan idonea ut ad prophylaxin pertinens, considerari debeat, tamen ad hypochondriasis curationem nihil majoris momenti, non in specie sola idiopathica, quae ex iis proxime originem trahit, sed etiam cum alius ex systematis affectionibus proveniat. Quae Cullenus de causis dyspepsiae occasionalibus vitandis dicit, etiam bene hypochondriasin aptat. "The propriety and necessity of the "first indication," inquit ille, "is sufficiently "evident; as the continued application, or fre- "quent repetition of those causes, must conti- "nue the disease; may defeat the use of reme-

"dies; or, in spite of these, may occasion the "recurrence of the disease. It is commonly "the neglect of this indication which renders "this disease so frequently obstinate. How "the indication is to be executed, will be suffi-"ciently obvious from the consideration of the "several causes; but it is proper for the prac-"titioner to attend to this, that the execution "is often exceedingly difficult, because it is "not easy to engage men to break in upon es-"tablished habits, or to renounce the pursuit "of pleasure; and, particularly, to persuade "men that these practices are truly hurtful "which they have often practised with seem-"ing impunity."

CONSILIUM SECUNDUM.

Signa in hoc morbo lenienda, sunt prope eadem ac in dyspepsia; nausea nimirum, cardialgia, gastrodynia, alvusque adstricta.

Nausea.—Haec plerumque a ventriculi cruditate pendens, miti emetico sublevanda est; sed non decet vomitoria saepe adhibere, nam ven-

triculi actionem debilitare conducant; post vomitum, an arte inductum, an sponte orientem, catharticum adhibere utilis est cum opiato conjunctum, quod simul quid crudi adhuc in ventriculo removans evacuet, et stomachi actionem abnormem compescat.

Cardialgia et gastrodynia.—Ut hae acoribus et inflatione fere semper nascuntur, aciditatem absorbentibus corrigere, et flatum carminatiorum usu removere, oportet. Alcalinae vel terreae carbonates, vel magnesia ipsa, et aromaticae, vel solae vel junctae adhibitae, prout res poscant, remedia commodissima sunt haec proposita implere.

Alvus adstricta.—Obstipatio hypochondriasis comes admodum generalis est, et omnia ejus symptomata valde aggravat, igiturque sedulo removenda; pro hoc consilio, laxantia mitiora potius quam purgantia adhibenda, et omnia drastica purgantia cum summa cura evitentur.

CONSILIUM TERTIUM.

Nunc ad postremam indicationem perventum

est, scilicet, tonum vigoremque systemati, sed praecipue ventriculo et animo, integritatem reddere; permulta medicamenta ad roborandum systema laudata sunt, sed eorum usus non multum juvat, ideoque attentio medici praecipue ad regimen cum corporis tum animi dirigenda est.

Cibus et potus.—Ii totam corporis materiam suppeditant, ventriculus quo infunduntur, intestina quorum iter persequuntur, lato consensu cum universo systemate gaudent, affectiones suas tam malas quam utiles longe lateque impertientes; ergo intemperantia vel temperantia ad pessimum vel optimum multum valere possint, omnibus liquido patebit. Cibus partim ex carnibus, partim ex frugibus ita praeparatis ut in ventriculo non acidae fiant, constare debet, et maxima temperantia semper utenda est; hinc nonnunquam difficultas curandi insuperabilis oritur: hypochondriaci, carnibus oleosis, inflammatis, et aridis, nonnullisque piscibus, et rebus similibus sese penitus abstinere, et vel nullam coenam, vel exiguam, concoctionisque facilem, sumere debent:

Ex magna coena stomacho fit maxima poena;
Ut sis nocte levis, sit tibi coena brevis.—SCHOL. SAL.

Aqua longe pro potu aptissima est, sed interdum parva vini quantitas aut spirituum tenuiorum ex multa aqua permittatur, et quum aegri valde debiles utiles sunt.

Exercitatio.—Haec et ad corpus et mentem respicit, ut non modo ad unius sanitatem plurimum confert, sed etiam alterius vires intendit, "mirum est," ait PLINIUS, "quam animus "agitatione et motu corporis excitatur." Ambulatio, utpote exercitium admodum salubre et facile adipiscendum, suadenda est; sed si animi valde demissus adsit, ut cogitationum seriem frangere nequeat, non perplurimum valet. Inter varias exercitii species, equitatio et aurigatio in hunc morbum optimae videntur; nam non solum corpus roborant, sed, ut aeger semper equum dirigendo occupetur, ejus animus suis vanis meditationibus abstrahitur, et haud dubium est ut multa beneficia ab aëre et exercitatione hypochondriasi ex animi oblectamentis oriunt.

Hypochondriasi animum ita regere ut semet non edat perdifficile est; odio eos habet, qui ejus mala irrident, itaque potius commiserando levanda sunt; alia atque alia medicamenta appetit, atque alium post alium nisi quisque ei indulgerat, medicum arcessit. CULLENUS justissime observat: "If in any case the pious fraud "of a placebo be allowable, it seems to be in "treating hypochondriacs." CELSUS de mentis tractatione oppido bonas normas dat: "Removendi terrores," inquit ille, "et potius bona "spes afferenda; quaerenda delectatio ex fabu-"lis ludisque, quibus maxime capi sanus assue-"verat; laudanda, si qua sunt, ipsius opera, et "ante oculos ejus ponenda; leviter objurganda vana tristitia; subinde admovendus, in iis "ipsis rebus quae solicitant, cur non potius lae-"titiae, quam solicitudinis causa sit."

Hypochondriasi aegrotantes frontem exporrigant, animumque, sermone amico, bona spe, imaginibus laetis, agrorum hortorumve cultu, denique rerum novitate et diversitate, exhilarent.

Frigidarium.—Veteres balneum aestimabant, non modo ad sanitatem conservandam, verum etiam ad quosdam morbos depellendos; et certe lavatio hypochondriasi laborantibus haud parum proderit, praesertim si corpus balneo relicto calet, et alacritas nova totum systema pervadit.

Remedia tonica.—Medicamenta hujus classis in iis, a regno vegetabili, et in iis a minerali, dividere solent: classis hujusce medicamenta, mala graviora ventriculi plus minusve mitigant; sed nisi frequentissime adhibentur, votis medici haudquaquam respondent, et metus est, ne gressu temporis ventriculum adhuc magis infirment, consuetudinemque ea pravam appetendi gignant. Ex iis quae ad vegetabilium classem pertinent, cortices cinchonae officinalis et Bonplandiae trifoliatae, radices colombae et gentianae luteae, et lignum quassiae excelsae, instar optimorum sunt, quibus ut stomacho gratiora reddantur, generaliter aromatica conjungi solent. Acida, praecipue sulphuricum, et ferri, zinci, et arsenici praeparata, mineralia tonica,

principia sunt; quorum omnium varia ex ferro praeparata optima esse dicuntur, aquae chalybeatae naturales formulas earum praestantissimas sunt: si aquae gase carbonico acidulae grate ventriculum roborant, si sales adsint alvum relaxant. Hae utilissimae qualitates junctae, cum loci, aëris, et oblectamentorum mutatione, fontes medicinales hypochondriaco utilissimos reddunt.

FINIS.